


# EPISTULA LEONINA

## CCXLI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM QUADRAGESIMAM PRIMAM (241) !**

# ARGUMENTA

|  |       |
|--|-------|
| <b>PRAEFATIUNCULA</b> .....  | 03    |
| <b>ABYSSUS ABYSSUM INVOCAT</b> .....   | 04    |
| <b>NOMEN SOPHOPHONI</b> ( <i>smartphone</i> )<br><b>PRIMUS CREAVIT LEO LATINUS !!!</b> ..... | 05-06 |
| <b>VISIFICIUM</b> ( <i>screen/ display</i> ).....  | 07-09 |
| <b>HAPTOSCOPIUM</b> ( <i>scanner</i> ).....  | 10-13 |
| <b>CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA</b> .....  | 14-15 |
| <b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA</b> .....  | 16-23 |
| <b>CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA</b> .....  | 24-30 |
| <b>EPISTULA URBANI BRASILIANI</b> .....  | 31    |
| <b>DE GIGANTIBUS</b> ( <i>Urbano dos Santos Ferreira</i> ).....                              | 32-41 |
| <b>EPISTULA IOANNIS KNIJFF BATAVI</b> .....  | 42    |
| <b>ULTIO</b> ( <i>Maupassant/ Knijff</i> ).....  | 43-47 |
| <b>HISTORIA LACERTAE AGILIS</b> .....  | 48-55 |
| <b>LIBRI LEONIS LATINI</b> .....   | 56-59 |

## PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**


***Cara Lectrix, Care Lector,***

***in istac tempestate rerum quamvis saeviant  
deliramenta pandemiae putativae et inundationes  
minus climatis mutatione quam negligentia  
gubernantium fatales effectae – si qua tibi  
praebetur felix occasiuncula – **carpe diem** et laetê  
fruere delectamentis huius aestatis, quae tamen  
restant aliquatenus. Sequere suasiones Horatii  
necnon Thomae a Kempis, qui dicit: **»In omnibus  
requiem quaesivi et nusquam invêni nisi in angulo  
cum libro«.*****

***Pancraticê vale et perge mihi favere. Medullitus te  
salutat***

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Martis**

**17. m. Augusti a.2021**



## **ABYSSUS ABYSSUM INVOCAT**

**Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum;  
Omnes gurgites tui et fluctus tui super me transierunt.**

**PSALMUS 42:8**

## **NOMEN SOPHOPHONI (*smartphone*) PRIMUS CREAVIT LEO LATINUS**

**cfr Nicolaus Groß, EPHEMERIS 9/10/2012 18h42,**

**1.\*sophophonum.** Quid est instrumentum communicationis hodiernae omnium frequentissimum omnibusque fere coequalibus nostrum longe gratissimum? Scilicet id quod anglice solet appellari *smartphone*. Hoc ego ante 9 ferê annos baptizavi (sit venia verbo) nomine graecolatino, q.e. **\*sophophōnum**, -i n. Dicat aliquis: ‘Istud instrumentulum nequaquam est philosophicum, immo plus affert ineptiae atque stultitiae quam sapientiae! Potius dicatur **\*mōrophōnum!**’ – Sed reverâ adiectivum graecum, q.e. σοφός, nequaquam semper spectat ad Socrateam sapientiam altiolem, sed saepius significat quandam scientiam vel peritiam vel sollertiam. Itaque bene quadrare videtur ad verbum anglicum reddendum, q.e. “smart”.

Gaudeo quidem quod hoc nomen instrumentuli frequentissimi a me novatum nunc in interreti latê patet, immo iam in Vicipaedia necnon in indices lexicales Gottweinii, Langenscheidtianum, Klettianum aliosque receptum est, sed subirascor, quod nemo istorum furuncolorum indicat creatorem nominis tam fecundi:

**\*sophophōnum**, -ī n. *i.q. anglice smartphone.*

**cfr Nicolaus Groß, EPISTULA LEONINA 85, p.2 (17.m.Aug. a.2015):**

*“Gaudeo neologismum \*sophophoni a me ipso compositum (v. infra, p.19, n.2) interim a multis Latine scribentibus receptum esse.”* --- op.mem. p.4: **“SOPHOPHONOLOGIA**, id est de usu et abusu telephoni intelligentis, quod vulgo vocatur *smartphone*, Latine autem **sophophonum**. Pars I“. cfr **SOPHOPHONOLOGIA**, Pars II, EL 86, p.4-19. - cfr **SOPHONOLOGIA**, Pars III, EL 87, p.4-29. -----

**cfr Nicolaus Groß, EPHEMERIS 9/10/2012 18h42,**

<http://ephemeris.alcuinus.net/archi2012/rubric1.php?categ=medicina>

**VALETUDO & MEDICINA: Adulescentes parum dormire: Ite dormitum!:**

*“Illos, cum indole suâ biologicâ possent diutius vigilare, studere animum avertere **sophophono**<sup>2</sup> et computatro mobili<sup>3</sup>... (2 **sophophonum**, -i n. *Smartphone*.”*

cfr symbola **Vicipaediae**, ubi auctor Vicipaediae **locum originalem non rectê indicat** – sed **Leo Latinus gaudet, quod Gaius Licoppe hoc verbum novatum comprobare apparet...**

<https://la.wikipedia.org/wiki/Sophophonum>:

“...Notae: “[Licet sophophonum in fundo paginae ephemeris](#)”. EPHEMERIS. Etiam : [Gaius Licoppe](#), "De vīro et mente", in *Melissa, Bruxellis*, n° 220, 2021, p. 1 : «*Singuli incolae habent in suo sophophono 'applicatio-nem'*».

**Stefan Alois Eckhardt, Zeitgenössische lateinische Texte und ihre Einbindung in den Unterricht. Diplomarbeit am Institut für Antike. Graz 2020. Begutachterin: Mag. Dr. Renate Oswald.**

p.24: (1.3.2 Neologismen)

„Bei der Bildung von Substantiven und Adjektiven entstehen Komposita, denen teilweise eine Hybridisierung zugrunde liegt. Dies bedeutet, dass es möglich ist, Lexeme aus verschiedenen Sprachen untereinander zu kombinieren, um dadurch schließlich ein neues Wort zu bilden.<sup>116</sup> Als Beispiel sei hier **sophophonum** angeführt, welches sich aus den griechischen Morphemen σοφός ‚weise‘ und φωνή ‚Stimme‘ bilden lässt. Durch eine Latinisierung und eine Kompositabildung entstand unter Berücksichtigung des Flexions-systems das Wort sophophonum, welches als ‚**Smartphone**‘ übersetzt werden kann.“

[https://la.wikipedia.org/wiki/Disputatio\\_Uoris:Jondel#Smartphone](https://la.wikipedia.org/wiki/Disputatio_Uoris:Jondel#Smartphone)

## Smartphone

Salve Jondel! Quum dictionarium meum non harum machinarum aetate ediderint, ecquidem publicum verbo 'smartphone' comparem commendare nequeo. Aliis vero Latinitatis hodiernae diurnis, sicut **in Ephemeride verbum a te quaesitum reperietur: scopophonium** (vide secundam notationem). --[Martinus Vester](#) ([disputatio](#)) 18:40, 1 Ianuarii 2013 (UTC)

Gratias tibi ago Martinus!! Magnum auxilium est.[Jondel](#) ([disputatio](#)) 04:31, 3 Ianuarii 2013 (UTC)

**Ave Jondel, auxiliandi causa sine tibi dicam, nisi fallor, lapsus esse scopophonium attamen sophophonum lectus esse in Ephemeris**, et denuntiem etiam translatio a Élizabeth Antébi et Marie-France Saignes oblata pro verbo anglice "smartphone" in "Pullus Micolellus Latina lingua" "sollerterphonascum" fuisse. --[Leonellus Pons](#) ([disputatio](#)) **15:25, 3 Ianuarii 2013 (UTC)**

Ave Leonellus! Prosperus annus tibi! Optime monitus es mihi, gratias. Adeo, tibi, sollerterphonascum melius sit? Emendabo ita. Sed si vis, emenda si tibi placeat.[Jondel](#) ([disputatio](#)) 00:15, 4 Ianuarii 2013 (UTC)

Aah! lapsus meus! Me paenitet![Jondel](#) ([disputatio](#)) 01:00, 4 Ianuarii 2013 (UTC)

**2. \*visificium.** Haec hactenus de sophophono. Permite, ut paululum tibi referam de alterâ notione modernâ, quae cum hac intimê coniuncta est ideoque saepius invenitur in indice COMMUNICATIONIS, quem tibi misi. Agitur nunc de notione, quae exorta est aetate artis cinematographiae puerili, id est de albo aut quadro visifico aut pariete originaliter linteo, in quem imagines (e.g. diapositivae) aut cinemata proiciebantur; hoc nomen postea translatum est ad areas visificas televisorii et computatri et sophophoni.

Cuius rei nomina moderna sunt:

angl. *screen, display, monitor*; theod. *Leinwand; Bildschirm*; fr. *écran*; hisp. *pantalla*; ital. *schermo*; palaeo- et neograecê □□ *ὄνη*.

In **Lexico Auxiliari** s.v. “Bildschirm” invenitur “**quadrum visificum**” (Vox Latina 1986, p.188; in **Lexico Vaticano** (in Lexici recentis Latinitatis versione theodisca s.v. Leinwand) inveniuntur “**album (lin-teum), n. Syn.: othone, es, f.**”

Neque “**quadrum visificum**” neque “**album lin-teum**” mihi sufficere videtur ad notionem denominandam, quae hodie permultas habet varietates et coniunctiones speciales. Nam utrumque nomen propriê est adiectivum, et cavendum est, ne adiectivorum substantivorum cum aliis adiectivis coniunctione fiat confusio. Praeterea neque omnia instrumenta huiusmodi visifica sunt quadrangularia neque albi coloris neque lin-tea. Ceterum nimis longum fit nomen, si alia adiectiva aut attributa genitivi sunt adiungenda.

Restat, ut tractem alterum nomen a Vaticanis propositum: graecum verbum, q.e. „**othone, es f.**“ Graeci hodierni cum hōc nomine antiquo utantur ad areas instrumentorum electronicorum visificas denominandas, mihi ipsi videtur hoc nomen aptum esse; volui distinguere tria genera: **othone** i.q. area visifica cinematographica aut diascopica (diapositiva) – **othonium**, i.q. area visifica televisorii aut computatri personalis, **othonidium**, i.q. areola visifica sophophoni.

**At tu, care Gaii, tales neologismos vituperasti dicens eosdem 1) nimis obscuros esse, 2) non iam convenire cum materiâ talium instrumentorum (aut arearum) hodiernâ, quae minimê est pannus lin-teus, sed vitrum aut materia plastica aut crystallus liquida aut quacumque aliâ.**



Primum argumentum, etsi libenter puto multis amicis Latinitatis vivae ignotum esse verbum graecum “othone”, tamen pace tuâ vix comprobare possum. Nam multa adhibemus verba multis parum nôta; si quis nescit – discat! At alterum tuum argumentum, ut verum confitear, refutare non valeo: Id quod hodie Graeci appellant “othone” de televisorio aut computatro loquentes, non iam est materia lintea. Certê sunt multa nomina, quorum sensus originalis est hodie obsoletus. Sed non ita bene convenit nomine Latino novando recipere et renovare sensum interim obsoletum. Itaque tibi assentior et desino defendere *othonen* et *othonium* et *othonidium*.

In nomine novando, quo egemus, oportet exprimatur *sensus rei visibilis faciendae*.

Adiectivum *visificus*, *-a*, *-um*, quod valet “*visum faciens*”, invenitur apud THEODORUM PRISCIANUM ([https://de.wikipedia.org/wiki/Theodorus\\_Priscianus](https://de.wikipedia.org/wiki/Theodorus_Priscianus)) medicum Romanum aetatis antiquae posterioris (4./5.saec.).

Parvâ tantum mutatione liceat confingere substantivum ex hôc adiectivo necnon adhibere suffixum frequentissimum: \***visificium**, **-i n.**

In **Lexico Latinitatis reverso Gradenwitziano** inveniuntur haec substantiva antiqua, quae desinunt in **-ficium**:

maleficium, beneficiu(m), veneficiu(m), officiu(m) (quod exortu(m) est ex “opi-ficiu(m)”), aedificiu(m), nidificiu(m), supraaedificiu(m), malificiu(m), velificiu(m), mellificiu(m), lanificiu(m), panificiu(m), opificiu(m), sacrificiu(m), assacrificiu(m), orificiu(m), lorificiu(m), sanctificiu(m), frontificiu(m), artificiu(m), vestificiu(m), superficiu(m).

Sensus talium substantivorum originalis est actio, quâ aliquid fabricatur; postea per metonymiam talia substantiva significant id, quod actione efficitur vel fabricatur. Hoc bene quadrat ad nomen confingendu(m).

Quae cum ita sint, notionem hodie frequentissimam, quae appellatur anglicis verbis, q.s. *screen*, *monitor*, *display*, equidem denomino Latino verbo novato, quod est \***visificium**, **-i n.** Necessarium est, ut



sermone nostro amatissimo denominemus notionem hodie maximê cottidianam: Nonne plerique homines hodierni cottidie per multas horas diei sedent ante visificia televisorii, computatri, sophophoni? Nonne multi exanclant labores visificiales?

Oportet etiam confingatur adiectivum derivativum, q.e. \***vīsificiālis**, -e.

Interdum haud dedecet deminutivum adhibere: \***vīsificiolum**, -i n.

\***visificum tãctile touchscreen**

Hôc loco pauca tantum exempla affero, ex quibus apparet usus horum verborum novatorum:

*visificium cinematei aut cinematographicum, visificium diasopicum, visificium televisorii, visificium computatri, visificium sophophoni.*

*labores visificiales, die noctuque ante visificium sedere, textus visificalis, operarius/-a visificalis, ephemeris visificalis, e.m.al.*

Quid tibi videtur, optime sodalis? Haec hactenus, mox, si vis, plura.

Medullitus te salutat

Nicolaus.


**HAEC HACTENUS**

**DE VISIFICIO ET SOPHOPHONO**

**SCRIPTISIT**

**LEO LATINUS**

## HAPTOSCOPIUM QUID SIT



### SCANNER quid sit Latine?

**PARUM QUADRANT** isti neologismi qui usque nunc sunt propositi:

\*scandibulum???

\*scrutatrum???

\*scrutabulum???


\*sarōtēr, -ēris m.???

\*sarōtrum, -ī n. ???

[cfr EL 86,18: ngr. **σαρωτής** ,scanner'. cfr gr. **σάρωτρον**, τό, broom, Eust.(= Eustathius Episcopus Thessalonicensis, XII A.D.) 1887.35, Thom.Mag. (= Thomas Magister Grammaticus, XIII/XIV A.D., Ed. F. Ritschl, Halle 1832) p.201 R.]

Nunc autem Leo Latinus proponit hoc verbum quod sequitur  
**Scanner** - optical scanner – scanneur – escáner – scanner –

\***haptoscopium**, -ī n. Verbum temporale quod ad usum huius instrumenti spectat, licet sit \***haptoscopāre**, haptóscopō.



cfr nomen instrumenti theodiscum: “**Abtaster**”, i.e. instrumentum, quo singulae partes alicuius obiecti radiis luminis tamquam digitis manūs probantur et mensurantur. angl. *scan* et theod. *abtasten* significant ferē id quod “tangendo probare/experiri/mensurare/perscrutari”.

\***Haptoscopatio** est ergo actio **optomechanica**.

[[https://de.wikipedia.org/wiki/Scanner\\_\(Datenerfassung\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Scanner_(Datenerfassung))): “Ein **Scanner** (von englisch *to scan* ‚**abtasten**‘) oder **Abtaster** ist ein **Datenerfassungsgerät**, das ein **Objekt auf eine systematische, regelmäßige Weise abtastet oder vermisst**. Das Scannen ist ein **optomechanischer** Vorgang. Die Hauptidee ist, mit relativ begrenzten Messinstrumenten durch eine Vielzahl von Einzelmessungen ein Gesamtbild des Objekts zu erzeugen. Der Scanner nimmt die analogen Daten der physikalischen Vorlage mit Hilfe von Sensoren auf und übersetzt diese anschließend mit A/D-Wandlern in digitale Form. So können sie z. B. mit Computern verarbeitet, analysiert oder visualisiert werden. Bei einem **Bildabtaster** (bzw. **Bildsensor**) wird ein Bild in Bildpunkte umgewandelt, wobei Schwarz-Weiß-Werte in Grauwerte oder entsprechende Bitmuster (Bitmap-Grafik bzw. Pixel-Grafik) umgewandelt werden.<sup>[1]</sup> [https://praxistipps.chip.de/wie-funktioniert-ein-scanner-einfach-erklart\\_41877](https://praxistipps.chip.de/wie-funktioniert-ein-scanner-einfach-erklart_41877)”

## Haptoscopium quomodo operatur?

Haptoscopium operatur lumine et reflexionibus.

- Documentum haptoscopandum irradiatur lumine lucido. Hoc plerumque eo fit, quod *caput haptoscopicum* quod dicitur documentum transcurrit.
- Quo lucidior est regio imaginis actualis, eo plus luminis reflectitur. Hoc lumen speculo ducitur ad *lentem opticam*, quae irradiat *semiconductorem*.
- Quo plus luminis incidit in semiconductorem, eo plus *fluentis electrici* semiconductore transmittitur. Varias intensitates fluentis electrici subdivisae sunt in varias regiones. Ex his regionibus intensitatis fiunt *notae binariae* (*binary codes*), ex quibus tandem oritur *imago*.

DERIVATA:

- \***haptoscopāre, -ō**
- \***haptoscopātiō, -ōnis f.**
- \***haptoscopia, -ae f.**
- \***haptoscopēma, -atis n.**
- \***haptoscopicus, -a, -um**
- \***haptoscopium documentōrum**
- \***haptoscopium manuāle**
- \***haptoscopium pellūcidum**
- \***haptoscopium \*cīnēmatographicum**
- \***haptoscopium \*x-radiārium**
- \***haptoscopium \*lasericum**
- haptoscopium corporāle/ nūdārium/nūdificum**
- \***haptoscopium \*radiofrequentiarum**
- \***haptoscopium portae \*computātrālis**
- \***haptoscopium \*vīrāle**
- \***haptoscopium \*lexicāle**
- \***rhabdoscopium = *Barcodescanner***
- \***rhabdogramma = *Barcode***

Strichcodeleser, Barcodescanner - bar code reader - lecteur de code-barres - lector de código de barras - lettore dei codici a barre -

\***rhabdoscopium, -ī n.**

[cfr. *barcode* neograece [αβδοκώδικας](#)

[ραβδωτός κώδικας](#)

v. infra p.17:

\***haptoscopium, -i n. *Scanner*.**]

Barcode, Strichcode, Balkencode, Streifencode - bar code - code-barres - código de barras - codici a barre - **\*rhabdogrammata, -tum n.pl.**

Karolis Lyvens (ep. 09.06.21) :

“En aperui paginam fortuitam. De rhabdoscopia: fortasse breve vocabulum nimis multa in se continet – raro hoc vocabulum adhibetur, ergo fortasse melius est iuncturā quādam exprimere. Haptoscopia, rhabdoscopia... Si hāc viā -scopiorum procedimus, fortasse praestat “haptoscopia rhabdogrammata”. Et si agimus de QR-code, fortasse eodem tenore fieri potest “tetragonogramma” (secundum Lettonicum „kvadrātkods“). **Sed de „haptoscopia“ quid sentiam nescio.** Fortasse alias.”

**HAEC HACTENUS**

**DE HAPTOSCOPIA**

**SCRIPSIT**

**LEO LATINUS**

# CHRONOGRAMMATA DEMMINGIANA

Frühmorgendliche Grüße aus der Stadt, die ein Wolfgang-  
Borchert-Theater hat. HD

Zum 20. Mai 2021

WOLFGANG BORCHERT HISTRIO POETA EXCELLENS PVGNAX FORTISQVE  
VIR PACIS AMANS HODIE QVINQVAGINTA BIENIIS ANTE NATVS

Wolfgang Borchert, Schauspieler und herausragender Dichter, kämpferischer und mutiger Pazifist, wurde heute vor hundert Jahren geboren.

*hdf*

Zum 21. Mai 2021

ALBRECHT DVERER ARTIFEX EXPERTVS PICTORQVE  
INGENIOSVS NORIMBERGAE IN CAPITATE FRANCONIAE  
ANTE QVINGENTOS QVINQVAGINTA ANNOS NATVS

Albrecht Dürer, als Künstler ein Könnner und genialer Maler,  
wurde in Nürnberg, Frankens Hauptstadt, vor 550 Jahren  
geboren.

*hdf*

ZUM TAG DES GRUNDGESETZES PFINGSTEN 2021: Doppelte Seuchenwarnung

TEVTONI TERTIO EXITIOSAE SEVERAEQVE PESTIS FLCTV DENIQVE  
LABORIOSE PERFVNCTI AT QVARTVM CAVEATIS VIGILANTER

*hdf*

Ihr Deutschen, die dritte Welle einer Verderben bringenden und schrecklichen  
Seuche habt ihr zwar schließlich unter Mühen überstanden. Aber hütet euch vor einer  
vierten! Passt auf!

Zum runden Geburtstag des Nobelpreisträgers

BOB DYLAN CANTOR LATE CELEBER PRAECLARVS POETA  
HODIE ANTE QVADRAGINTA BIENNIA NATVS

*hdf*

**Abendliche Grüße! Und jetzt schweige ich auch erst mal wieder  
chronogrammatikalisch. □**

**Pfingsten 2021**

SPIRITVS DIVINVS VBICVMQVE VVLT IBI  
SPIRAT AC VIVIFICAT FOVENS & CVRANS

Wo auch immer der göttliche Geist will, dort atmet und belebt er wärmend und  
heilend.

**hdf**

Zum 4. Juni 2021

**Nächtliche Grüße. HD**


FRIEDERIKE MAYROECKER PRAECLARA SCRIPTRIX  
AVSTRIACA VERBI ARTIFEX NONAGINTA SEX ANNOS  
NATA VIENNAE EXIVIT

Friederike Mayröcker, berühmte österreichische Schriftstellerin, Meisterin des Wortes, ist im Alter von  
96 Jahren in Wien gestorben.

*hdf*



## CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA



CaroL Iosef VVoiTYLa In CIVItate poLonIensi VVaDoVICe ante CI annos natVs est qVI  
 postea eLeCtVs Ioannes PaVLVs II papa testIs IesV ChrIstI festInanter CVrrens paene  
 CVnctas natIones LIberas orbIs VIstaVIit atqVe Ipse sanCtIfICaVs est - oret pro nobIs. -  
 Carol Józef Wojtyła, der vor 101 Jahren in der polnischen Stadt Wadowice geboren wurde, hat  
 später nach seiner Erwählung als Papst Johannes Paul II. und Zeuge Jesu Christi in einem  
 eiligen Lauf fast alle freien Nationen der Welt besucht und ist selbst heiliggesprochen  
 worden; möge er für uns beten. – Das Chronogramm spielt auf seinen Beinamen „der eilige  
 heilige Vater“ an. – Carol Józef WoItyla - Johannes Paul II.: 18.5.1920 \* Wadowice -  
 16.10.1978 Papstwahl – 104 Auslandsreisen - + 02.04.2005 – 21:37 im Vatikan – 01.05.2011  
 seliggesprochen durch Benedikt XVI - 27.4.2014 heiliggesprochen durch Franziskus – Fest:  
 22.10 -

Zum 19. Mai, dem **Fest des seligen Abtes Alkuin:**

2021\* **VoX** pop**VLI**, **Vera** er**It** tot**Is** nob**Is** **VoX** **DeI** nostr**I**, s**Cr**ips**It** beat**Vs**  
**ALCVInVs** abbas sap**Iens** **CaroLo** **Magno** reg**I** s**Vo**. – Die Stimme des Volkes  
 wird für uns alle die wahrhaftige Stimme unseres Gottes sein, schrieb zu recht  
 der selige, weise Abt Alkuin seinem König Karl dem Großen. - Alkuin, seliger,  
 730-805 – 19.5.804




Herabkunft des Hl. Geistes - Nottingham, 15. Jh, Alabaster, 37,5 x 18,5 cm, Kunsthhaus  
 Lempertz



Egbert-Codex (980), Trier

2021\* **DI**e **PenteC**ostes **repleti** **sunt** **omnes** **Spiritu** **sancti** **et** **pleni** **et** **cooperantur** **loqui** **in** **variis** **linguis** **totius** **orbis** **verba** **sapientiae** **et** **fortis** **exhortationis**. – Am Pfingsttag sind alle vom Heiligen Geist der Heiligkeit und Frömmigkeit erfüllt worden und begannen in allen Sprachen des gesamten Erdkreises Worte der Weisheit und kräftigen Ermahnung zu verkünden. – vgl. Apg 2,4.14





Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2021\* eIa, effVnDaM aqVas sVper sItIentes et arIDa orbIs. – Ja, ich will Wasser ausgießen über die Dürstenden und das Trockene des Erdkreises. - Is 42,2



Der Hl. Geist mit seinen Gaben, Glasbild von Lorenz Johannes Heilmair (1984)  
Zentrum der Spiritualität Cruzeiro do Sul

2021\* eIa, effVnDaM sVper Vos Dona noVa. – Ja, ich will über euch neue Gnaden ausgießen.

2021\* eIa, rege In totIs nobIs qVoD DeVIVM sIt. – Bitte, lenke in uns allen, was vom rechten Weg abgeirrt sein mag.

2021\* eIa, SpIrltVs DeI, IrrIga pIe arIDVM In totIs nobIs! – Ja, Geist Gottes, tränke gütig das Vertrocknete in uns allen!

2021\* frVctVs SpIrltVs DeI paraCLYtI erIt pIa aLLegrIa, CarItas, paX  
ConsCIentIae, patIentIa, benIgnItas, fIDes fortIs, ContInentIa, LVX; Contra eos  
non erIt LeX. - Die Frucht des Tröstergeistes Gottes ist gottesfürchtige Freude,  
Liebe, Friede des Gewissens, Geduld, Güte, fester Glaube, Enthaltbarkeit,  
Erleuchtung; gegen sie gibt es kein Gesetz. - vgl. Gal 5,24





Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2021\* In BaYLone sVrreXerVnt nobIs LIngVae InfInItae,

In IerVsaLeM Die PenteCostes VIXIt SpIrItVs SanCtI VnICa. –

In Babylon gab es für uns den Beginn von unendlich vielen Sprachen,  
in Jerusalem lebte am Pfingstfest die einzige des Hl. Geistes.

2021\* pVrga sorDIDVM totIVs InterIorIs nostrI. –Reinige unser gesamtes Innere vom Schmutz!

2021\* spIrItanI est fortIs propaganda fIDEI MISSIONarIa In VerItatIs et pIetatIs sapIentIa. – Aufgabe des Spiritaners ist die tapfere missionarische Verbreitung des Glaubens in der Wahrheit der Weisheit und Güte.

2021\* SpIrItVs SanCtVs sIt nobIs totIs pIa LVX qVae sCrVtatVr CorDa, Ipse postVLabIt In nostro InterIore geMITIbVs InennarabILIbVs. –Der Heilige Geist sei für uns alle ein gütiges Licht, das die Herzen durchforscht, er wird in unserem Innern mit unaussprechlichen Seufzern eintreten. - Röm 8,27

2021\* VbI est SpIrItVs DoMINI VIVaX, IbI erIt LIbertas In VIRTvte fortIs sapIentIae et pIetatIs IstIVs InCLItI SanCtI ParaCLYtI.– Wo der Geist des Herrn lebendig ist, da wird die Freiheit in der starken Kraft der Weisheit und Gottesfurcht dieses hocharhaben heiligen Trösters sein. - vgl. 1 Kor 1,24; 2 Kor 3,17.18

2021\* VbI regnat SpIrItVs ParaCLYtVs DoMINI VeraX, IbI VIVIIs pIe In LIbertate fortI sIne Lege serVItVtIs trIstIs peCCatI. – Wo der wahrhaftige Tröstergeist des Herrn herrscht, da lebst du fromm in der starken Freiheit ohne das Gesetz der traurigen Knechtschaft der Sünde. - vgl. 2 Kor 3,17.18

2021\* VenI, Creator SpIrItVs, DIgItVs fortIs DeI PatrIs DeXterae, LVX, fons VIVVs, IgnIs, Caritas, VoX VerItatIs, VentVs pVrVs et nobIs totIs regIa spIrItaLIIs VnCTIo. – Komm, Schöpfer Geist, starker Finger an des Vaters rechter Hand, gütiges Licht, lebendige Quelle, Feuer, Liebe, Stimme der Wahrheit, reiner Windhauch und für uns alle eine vorzügliche geistliche Salbung. – in Anlehnung an die Pfingstsequenz

2021\* VenI, DIVIne Creator SpIrItVs, qVI proCeDIIs InFIInIte eX Patre FILIoqVe, VenI et VIStIta nos, Da et aperI totIs nobIs CVnCTas pIetatIs gratIas. – Komm, göttlicher Schöpfergeist, der du ewig aus dem Vater und dem Sohn hervorgehst, komm und besuche uns, gib und öffne für uns alle alle Gnaden der Frömmigkeit.

2021\* VenI, SanCte Creator SpIrItVs eXIens IbI eX Patre FILIoqVe IesV ChrIsto, pLenItVDo gratIae, sapIentIae, fortItVDInIs, CarItatIs, VnCTIonIs spIrItVaLIIs, Vt VIVas Vere ParaCLYtVs In totIs peCtorIbVs nostrIs! – Komm, Heiliger Schöpfergeist, der Du dort aus dem Vater und dem Sohn Jesus Christus hervorgehst, Du Fülle der Gnade, der Weisheit, der Stärke, der Liebe, der



geistlichen Salbung, um als Tröster wirklich in all unseren Herzen Wohnung zu nehmen. -

2021\* VenI, SanCte SpIRitVs, Creator, ParaCLYtVs, ConsoLator DVLCIs, DVX, fons, IgnIs VIVVs, CarItas, spIRItaLIIs VnCTIo, eIa LIbera nos! - Komm, Heiliger Geist, Schöpfer, Beistand, süßer Tröster, Führer, Quelle, lebendiges Feuer, Liebe, geistliche Salbung, mache uns bitte frei!

# CHRONOGRAMMATA RÖSSLERIANA

## Sebastian Kneipp

\* 17. Mai 1821 in Stephansried in Oberschwaben

† 17. Juni 1897 in Wörishofen

qVater qVinqVagInta anni ante

xvi kal. ivnias natVs

SebastianVs kneipp

clericVs et medicVs natVralis

\* \* \*

qVater qVinqVagInta anni ante

xvi kal. ivnias natVs

SebastianVs kneipp

saCerdos Ecclisiae Catholicae baVaricVs

hydrotropheVta praeCellens

mmxxi

Am 17. Mai vor zweihundert Jahren wurde Sebastian Kneipp geboren.

Er war Kleriker und Naturmediziner.

Am 17. Mai vor zweihundert Jahren wurde Sebastian Kneipp geboren.

Der römisch-katholische Priester aus Bayern war ein hervorragender Hydrotherapeut.

# Alkuin

angelsächsisch Ealhwine, auch Alhwin, Alchoin

inschriftlich ALCHVVINVS

latinisiert Albinus mit Beinamen Flaccus

\* 735 in der Nähe von York in Northumbria

† 19. Mai 804 in Tours?

Flaccv<sup>s</sup> Albin<sup>v</sup>s Alchvvin<sup>v</sup>s

theolog<sup>v</sup>s Anglic<sup>v</sup>s

nobilis praec<sup>e</sup>ptor litterat<sup>v</sup>s

Ei

«Propositiones ad Acv<sup>e</sup>ndos Ivv<sup>e</sup>nes»

attrib<sup>v</sup>tae

## SAID

27. Mai 1947 in Teheran

† 15. Mai 2021 in München



Said poeta **idi**v s **mai**i s e **vi**ta egress**V**s

\* \* \*

Said poeta

teheran**i** in **Iran**i a nat**V**s

**idi**v s **mai**i s obiit

mmxxi

# Fanny Gräfin zu Reventlow

(18. Mai 1871 – 26. Juli 1918)



TRIGINTA LVSTRIS ANTE  
 XV KAL. IVNIAS NATA  
 FANNY COMITISSA DE REVENTLOW  
 BONA INTERPRES ATQVE SCRIPTRIX  
 TEVTONICA

MMXXI

# Wolfgang Borchert

\* 20. Mai 1921 in Hamburg

† 20. November 1947 in Basel



ante **vi**ginti **lv**stra

**xiii** kal. **iv**nias

ha**m**v**rgi** nat**v**s

**v**volfgang**v**s bor**C**hert

bon**v**s **c**riptom theod**di**sc**v**s

# Albrecht Dürer

\* 21. Mai 1471 in Nürnberg

† 6. April 1528 in Nürnberg



ante qVingentos qVinqVagInta annos

xii kal. ivnias natVs

Albertvs dvrervs noricvs

praestans pictor et delineator theodiscvs



# Andrei Sacharow

sowjetischer Physiker  
„Vater der sowjetischen Wasserstoffbombe“  
Dissident  
Friedensnobelpreisträger

\* 21. Mai 1921 in Moskau  
† 14. Dezember 1989 in Moskau



bis qVinqVagInta anni ante

xii kal. ivnias natVs

Andreas SaCharov

vir phYsicAe peritVs

prae mi o nobeli ano pa ci s la vreat vs

mmxxi

Am 21. Mai vor hundert Jahren wurde  
der Physiker und Friedensnobelpreisträger  
Andrei Sacharow geboren.

## EPISTULA URBANI BRASILIANI

**Urbanus Leoni Latino salutem.**

S.B.V.B.E.E.V.

Mitto tibi, Leo noster, symbolam quam diu mecum servaveram, sed recognoscendi tempus nondum habueram. Superiore tamen mense, rogantibus amicis, rem iterum legi oportunitatemque recensendi inveni. Si argumentum tibi placuerit, Epistolæ Leoninæ insere scriptum his litteris adiunctum.

Cura ut valeas.

Urbanus

**Leo Latinus Urbano suo sal.pl.dic.**

Summas gratias, optime Brasiliane, pro symbola gratissima, qua Leonis scriptum Hebdomadale exornabis atque locupletabis: Libentissime opusculum tuum giganteum publicabo.

Ceterum modo Latine reddo relationem "Septimanae Mundanae", Helvetici periodici hebdomadalis conservativi, quod spectat ad Bolsonaronem praesidem vestrum. Ibi refertur adversarios praesidis (inter quos esse etiam Paulum Coelhonem poetam illustrem) conari culpam mortis cuiusdam histrionis plebi grati coronariae convertere in Bolsonaronem. Nam Paulum poetam friguttivisse (to twitter = friguttire) in causa mortis illius histrionis esse istos, qui pandemiam dixissent nihil esse nisi influentiolam ("gripezinha"), i.e. luem periculosissimam falsis verbis deminuissent. Versionem meam si perfecero, tibi mittam rogans, ut relationem Helveticam commenteris qua es scientia et peritia nationis tuae. Haec hactenus, mox certe plura o Urbane, Brasiliane Latinissime. Medullitus te salutatur Leo Latinus.

## DE GIGANTIBUS

A me, quasi difficilibus dedito rebus, ineunte mense Aprili huius anni MMXXI, amica quæsivit quid putarem de gigantibus. Ipsa sermonem instituerat ex quodam Enochii libro, de quo, ut sciam, multi fiunt in interreti sermones. Re enim vera semper fuerunt illi qui non parvo cum studio in gigantes altius cognoscendos incumberent. His tamen temporibus, præsertim interretiali ope, illa quæ inveniri possunt de hoc argumento sive in apocryphis sive in canonicis Hebræorum Christianorumque libris, citius perveniunt in populi cognitionem. In eodem reti, præter Græcas et Hebraicas, quædam etiam inveniuntur de gigantibus narrationes et fabulæ, quas alii populi tradunt, ut Germani, Americani, Australiani, et ceteri multi.

Cum de gigantum<sup>1</sup> argumento mecum servarem quasdam, quæ superioribus annis investigaram et litteris mandaram, annotationes, eas, quas tunc in promptu gerebam, amicæ legi; deinde aperui sententiam meam. Infra demonstrantur quas res tunc mecum servabam. Hoc tamen animadvertite: Illa tantum considero, quæ sunt in libris canonicis tum Hebraice cum Græce scriptis; deinde video quid opinentur de re duo illi maximi doctores, qui sunt Augustinus et Thomas Aquinas. Utinam res delectet, utinam doceat, utinam alios suscitet, qui velint scribere doctius.

### De nomine

Consideremus oportet quid gigantum nomine intelligatur. Gigas est vocabulum Græcum, eiusdem radicis atque ΓΗ, id est Terra. Ipsum ergo nomen prodit illam gigantum originem quæ narratur apud Græcos, nam nati sunt, dicente Hesiodo, ex Terra (Γαῖα), sanguine Cæli (Οὐρανός) fecundata: «Quotquot enim guttæ proruperunt cruentæ, omnes suscepit Terra: inversis autem annis, produxit Erinnyasque validas magnosque Gigantes armis nitentes, longas hastas manibus tenentes» (Theogonia, 183-187). Homerus illos inducit superbos et vastos: Eurymedon «olim superbis gigantibus imperavit»; et inferius in eodem libro, «et cyclopes et vasti gigantes» (Odyssea, liber 7, 59 et 206). Hucusque de rebus Græcis, quibus confiteor me

<sup>1</sup> Gen.pl. gigantum cfr CIC.poet.Tusc.2,20; LUCR.4,138; HOR.car.2,19,22; MELA 2,3,2; SUET.Aug.79,3.

parum incubuisse. Ad rem tamen quam persequemur, satis est quod dictum est.

Cum sacri Hebræorum libri in antiquitate quæ antecedit ætatem christianam ad regiones Græcas pervenerunt, non paucis hominibus, qui Hebraice non iam loquebantur neque legebant, opus fuit versionibus Græcis. In his enim versionibus Græcum gigantum vocabulum, quod in promptu erat, data evidentissima similitudine, aptissimum visum est ad nominandos illos altissimos sævissimosque viros, quos describunt Scripturæ Hebrææ. Sed hinc alia surgit quæstio consideranda: lingua Græca unam tantum, Hebraica autem tres habet voces quibus gigantes nominet. Oculos ergo convertamus ad huiusmodi vocabula.

In Scripturis illis canonicis, quæ Hebraice exaratae sunt, gigantes aliquando dicuntur Nephilim, aliquando Enacim, aliquando Rephaim. Videamus oportet quid intersit inter nomina ista.

(a) Nephilim (נפליִם), quorum appellatio idem valet atque *'lapsi'*, fuerunt et gigantes et gigantea proles, quam genuerant filii Dei cum filiabus hominum. Nomen admittit aliquam sensus translationem, nam ubi describuntur magnæ esse staturæ, ibidem ipsi dicuntur etiam potentes et viri famosi (cf. Gen 6, 4).

(b) Enacim (ענקיִם), qui dicuntur filii Enac, tempore Moysis vixerunt. Hi etiam dicuntur Rephaim (רפאיִם). Nomen Enac (ענק) idem valet atque *'collum longum'*.

(c) Rephaim (רפאיִם) vel Rapha (רפה) sunt nomina quæ spectant ad locum, ubi quidam vivebant gigantes et unde Enac fuit oriundus. Ibidem vivebat Og, rex Basan, cuius lectus ferreus, ubi dormiebat, secundum Deuteronomium (3, 11), erat novem cubitos longus et quattuor cubitos latus (novem cubiti sunt quattuor metra!). In quibusdam autem Scripturarum locis Rephaim sic inducuntur ut mortuorum umbrae, non quorumlibet mortuorum, sed, ut videtur, gigantum defunctorum.

Res tamen non sic existimetur, quasi, inter Hebraica ista nomina, aliud aliam gigantis indicet naturam, ita ut, exempli gratia, aliud essent Nephilim, aliud Enacim. Res ita se non habet. Ut mihi videtur, unumquodque nomen quasi aliam describit eiusdem naturæ notam. Itaque idem qui dicuntur lapsi, illi collum habent productum et, mortui, in inferis degunt ut umbræ.

His positis notionibus, legamus oportet quosdam Scripturarum locos, ubi gigantum fit aut mentio aut descriptio.

### **Hebraica Scripturarum loca**

Ut iam superius indicavi, nobis examinanda sunt loca illa quæ aut Hebraice aut Græce scripta sunt. Hebraica videamus primum:

(a) Ante diluvium:

«Cumque cœpissent homines multiplicari super terram et filias procreassent, videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: “Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum”. Gigantes (nephilim) erant super terram in diebus illis et etiam, postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque eis genuerunt: isti sunt potentes a sæculo viri famosi» (liber Geneseos 6,1-4).

(b) Tempore Moysis:

«Detraxeruntque terræ, quam inspexerant, apud filios Israel dicentes: “Terra, quam lustravimus, devorat habitatores suos; populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est; ibi vidimus gigantes (nephilim), filios Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamus”» (liber Numeri 13,32-33).

«Ipsi quoque Raphaim reputabantur sicut Enacim; denique Moabitæ appellant eos Emim. [...] Terra Rephaim reputata est et ipsa; olim habitaverunt Rephaim in ea, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus et multus et proceræ longitudinis sicut Enacim, quos

delevit Dominus a facie eorum et fecit illos habitare pro eis. [...] Solus quippe Og rex Basan remanserat de residuis Rephaim. Monstratur lectus eius ferreus. Nonne est in Rabba filiorum Ammon? Novem cubitos habet longitudinis et quattuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus» (liber Deuteronomii 2,11.20-21;3,11).

(c) Tempore Davidis:

«Et egressus est vir propugnator de castris Philisthinorum nomine Goliath de Geth altitudinis sex cubitorum et palmi. Et cassis ærea super caput eius, et lorica squamata induebatur; porro pondus loricae eius quinque milia siclorum æris. Et ocreas æreas habebat in cruribus, et acinaces æreus erat inter umeros eius. Hastile autem hastæ eius erat quasi liciatorium texentium, ipsum autem ferrum hastæ eius sescentos siclos habebat ferri; et armiger eius antecedebat eum» (liber primus Samuelis 17,4-8).

«Factum est autem rursus prælium Philisthinorum adversum Israel, et descendit David et servi eius cum eo, et pugnabant contra Philisthim, et fatigatus est David. Iesbibenob, qui fuit de genere Rapha — ferrum hastæ eius trecentos siclos appendebat — et accinctus erat ense novo, nisus est percutere David; præsidioque ei fuit Abisai filius Sarviæ et percussum Philisthæum interfecit. Tunc iuraverunt viri David dicentes: “Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne exstinguas lucernam Israel”. Fuitque rursus bellum in Gob contra Philistæos; tunc percussit Sobbochai de Husa Saph de stirpe Rapha. Et fuit iterum bellum in Gob contra Philistæos, in quo percussit Elchanan filius Iair Bethlehemites Goliath Getthæum, cuius hastile hastæ erat quasi liciatorium texentium. Et adhuc fuit bellum in Geth, in quo vir excelsus, qui senos in manibus pedibusque habebat digitos, id est viginti et quattuor, et is quoque de origine Rapha. Exprobravit Israel; percussit autem eum Jonathan filius Samma fratris David. Hi quattuor erant de genere Rapha ex Geth et ceciderunt per manum David et servorum eius» (liber secundus Samuelis 21,15-22).

(d) Mortuorum animi in inferno:

In Proverbiorum libro:

«Inclinata est enim ad mortem domus eius, et ad inferos (rephaim) semitæ ipsius» (2,18).

«Et ignoravit quod ibi sint umbræ (rephaim), et in profundis inferni convivæ eius» (9,18).

«Vir, qui erraverit a via prudentiæ, in cœtu umbrarum (rephaim) commorabitur» (21,16).

Apud librum Iob:

«Ecce umbræ (rephaim) gemunt sub aquis, et qui habitant cum eis» (26,5).

Apud Isaiam prophetam:

«Inferus subter conturbatus est in occursum adventus tui; suscitavit tibi umbras (rephaim), omnes principes terræ surgere fecit de solis suis, omnes reges nationum» (14,9).

«Mortui non reviviscent, defuncti (rephaim) non resurgent; propterea visitasti et contrivisti eos et perdidisti omnem memoriam eorum. [...] Reviviscent mortui tui, interfecti mei resurgent. Expergiscimini et laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, et terra defunctos (rephaim) suos edet in lucem» (19,14 et 19).

(e) Adhuc de Hebraicis Scripturarum locis, tum Vulgata Latina cum Græca Septuaginta interpretum versio, intra Psalmorum librum, reddiderunt gigantem pro bellatore (גִּבּוֹר = giber). Ut supra dictum est, in ipso Geneseos libro (6,4), quoniam gigantes appellati sunt potentes (גִּבּוֹרִים = giborim), datum est fundamentum figuræ dicendi per quam sive Latine sive Græce gigantis appellatio transferri potest ad bellatorem eximium, ad virum potentem. Ecce versiculi, ubi occurrit verbum cum significatione translata:

«Soli posuit tabernaculum in eis, et ipse, tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exsultavit ut gigas (giber) ad currendam viam» (Psalmus 19,6).

«Non salvatur rex per multam virtutem, et gigas (giber) non liberabitur in multitudine virtutis suæ» (Psalmus 33,16).



### **Græci Scripturarum loci**

Libri illi, qui Græce scripti sunt vel quorum Hebraicum exemplar non exstat, tres offerunt locos nobis considerandos:

«Sed et ab initio, cum perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, reliquit sæculo semen nativitatibus, quæ manu tua erat gubernata» (liber Sapientiæ 14,6). Ratis est illa, quam fabricavit Noe, arca, sine qua animantia non haberent vivendi spem.

«Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum. Non illos elegit Deus neque viam disciplinæ dedit illis; et perierunt, quia non habuerunt prudentiam, perierunt propter insipientiam suam» (prophetia Baruch 3,26-28).

«Et dilatavit gloriam populo suo et induit se lorica sicut gigas et succinxit se arma bellica sua et prælia constituit protegens castra gladio» (liber primus Maccabæorum 3,3). Hic per figuram Iudas Maccabæus appellatur gigas. Non agitur ergo de vero gigante.

### **Qui sunt illi qui in Genesi dicuntur “filii Dei”?**

Iterum legamus locum illum libri Geneseos, ubi gigantes describuntur: «Gigantes erant super terram in diebus illis et etiam, postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque eis genuerunt: isti sunt potentes a sæculo viri famosi» (6,4). Habetur hic aliqua non solum temporum, sed etiam gigantum distinctio: alii erant super terram in diebus illis; et alii postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum. Hi post; illi ante nati sunt. Fuit ergo tempus, cum filii Dei ad mulieres non descendebant; deinde fuit aliud posterius cum illi descenderunt. Non sine causa, cum sermo fit de gigantibus et cum hic libri Geneseos affertur locus, naturaliter oritur quæstio de illis qui dicuntur “filii Dei”. Qui sunt ergo illi?

Augustinus sic invenit in antiquis codicibus manuscriptis: «Et septuaginta quidem interpretes et “angelos Dei” dixerunt istos et “filios Dei”; quod quidem non omnes codices habent, nam quidam nisi “filios Dei” non habent. Aquila autem, quem interpretem Iudæi ceteris anteponunt, non “angelos Dei”, nec “filios Dei”, sed “filios deorum” interpretatus est. [...] Quamvis hoc in Hebræo esse

perhibeatur ambiguum, ut et filii Dei et filii deorum posset interpretari» (de civitate Dei, liber 15, 23).

In lingua enim Hebraica Dei nomen (אלהים = Elohim), ut bene animadvertit Augustinus, pluralis habet formam numeri, et adhibetur sive ad unum Deum, sive ad plures deos appellandos. Dicantur ergo filii Dei, dicantur filii deorum, dicantur angeli Dei: propter has appellationes non pauci putaverunt de angelis agi. Si autem angeli sint, qui sunt incorporei, quo pacto coeunt cum corporalibus mulieribus quæramus. Pro certo tamen habemus hos, de quibus agitur, non esse angelos beatos, quoniam hi, ut Scriptura ipsa tradit, nihil aliud curant quam Dei voluntatem. Agiturne de angelis lapsis, quos appellamus dæmones? Fortasse agatur. Videamus opiniones.

Iam inde ab antiquitate Iudæi credunt esse quosdam dæmones, radice שוד (ShVD) appellatos. Cui radici Latina genii vox respondet, sed dæmones et spiritus familiares etiam dicuntur. Hi, de quibus doctores Iudæi aliquando scribunt, medium obtinent locum inter angelos et homines. Ut exemplum afferamus, in Thalmud Bereshit Rabbah, et in sectione 20 et in sectione 24, id est in utraque sectione, eadem de geniis verba duplicantur: «Dixit R. Simon: Omnibus centum ac triginta annis, quibus separata fuit Heva ab Adam, spiritus masculi concubuerunt cum ea, et ipsa pariebat illorum opera. Et spiritus feminæ succubuerunt Adamo, et pariebant ex illo».

Illud animadvertite, quod genii neque angeli neque homines sunt natura, sed quædam habent communia cum angelis, quædam cum hominibus. Iohannes Buxtorfius, in suo Lexico Hebraico et Chaldaico, sic de radice שוד, qua genii nominantur, scribit: «Sex proprietates dicuntur de dæmonibus. In tribus similes sunt angelis, et in tribus assimilantur hominibus. Habent alas sicut angeli; et volant ab una extremitate mundi ad alteram; et sciunt futura sicut angeli. Edunt et bibunt sicut homines; gignunt et multiplicantur sicut homines; et moriuntur sicut homines».

Alii populi, teste Augustino, narrationes Iudæorum similes tradebant. «Et quoniam creberrima fama est multique se expertos vel ab eis, qui experti essent, de quorum fide dubitandum non esset, audisse

confirmant, Silvanos et Panes, quos vulgo incubos vocant, improbos sæpe extitisse mulieribus et earum appetisse ac peregisse concubitum; et quosdam dæmones, quos Dusios Galli nuncupant, assidue hanc immunditiam et temptare et efficere, plures talesque asseverant, ut hoc negare impudentiæ videatur: non hinc aliquid audeo definire, utrum aliqui spiritus elemento aërio corporati (nam hoc elementum etiam cum agitur flabello sensu corporis tactuque sentitur) possint hanc etiam pati libidinem, ut, quo modo possunt, sentientibus feminis misceantur» (de civitate Dei, liber 15, 23). Moslemi, Iudæos secuti, etiam credunt esse genios.

Sed contra hanc geniorum opinionem habemus, quod ullam neque Antiquum neque Novum Testamentum de illis faciat mentionem. Deus enim, præter angelos et homines, aliam creaturam, quæ intellectu rationeque ditaretur, non condidit. Non est ergo cur de geniis curemus. Sed certum est ex angelis alios fuisse beatos, alios inferno addictos. Hos extremos sine ulla distinctione appellamus dæmones, satanas, diabolos, licet eorum princeps, per antonomasiam, dicatur Diabolus vel Satanas. Ultra procedamus.

Legamus opinionem Thomæ Aquinatis. Ipse, illum Augustini citando locum quem supra memoravimus, dicit quomodo dæmones incorporei ad feminas accedant et quomodo per illas suscitent aliquam prolem. «Sicut Augustinus dicit, XV de civ. Dei, “multi se expertos, vel ab expertis audisse confirmant, Silvanos et Faunos, quos vulgus incubos vocat, improbos sæpe extitisse mulieribus et earum expetisse atque peregisse concubitum. Unde hoc negare impudentiæ videtur. Sed angeli Dei sancti nullo modo sic labi ante diluvium potuerunt. Unde per filios Dei intelliguntur filii Seth, qui boni erant: filias autem hominum nominat Scriptura eas quæ natæ sunt de stirpe Cain. Neque mirandum est quod de eis gigantes nasci potuerunt: neque enim omnes gigantes fuerunt, sed multo plures ante diluvium quam post”. Si tamen ex coitu dæmonum aliqui interdum nascuntur, hoc non est per semen ab eis decisum, aut a corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis acceptum, utpote quod idem dæmon qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem, sicut et aliarum rerum semina assumunt ad aliquarum rerum generationem, ut Augustinus dicit, III de Trin.; ut sic ille qui nascitur non sit filius dæmonis, sed illius

hominis cuius est semen acceptum» (Summa Theologiæ, pars prima, quæstio 53, articulus 3, ad sextum).

## **Conclusio**

Consideratis Scripturarum locis maximisque doctoribus auditis, quid ipse possem ad rem addere, quod non esset rerum aut repetitio aut contractio? Ergo res et repetam et brevibus constringam verbis.

Gigantes vere fuisse super terram non solum Hebræorum, sed etiam aliorum populorum testimonia confirmant. Omnes fuerunt proceræ staturæ, non tamen eiusdem longitudinis. Og, rex Basan, exempli gratia, novem cubitos (3,96m); Goliath autem Hetthæus sex cubitos et palmum (2,71m) longus fuit. Præterea quidam habebant senos in manibus pedibusque digitos, id est viginti quattuor.

Frequentissimi fuerunt per orbem terrarum, et quibusdam regionibus imperarunt. Corporis autem magnitudo et bellandi peritia eos ideo superbos, stultos, insipientes, crudeles et impios effecit, ut a Deo durissime reprobarentur. Ergo quælibet beatæ resurrectionis spes non paucis eorum omnino denegata est.

Ad originem quod attinet, alii gigantes naturaliter nati sunt sive ante sive post quam filii Seth accesserunt ad filias Cain. Alii vero orti sunt dæmoniorum opera, non quia dæmones per se generare possent, qui procreandi facultate omnino privantur ex natura, sed quoniam dæmones, virorum semina ad feminas deferendo, homines experimentis subegerunt geneticis. Adde huc quod ad aliarum rerum generationem non solum hominum, verum etiam aliarum rerum semina collegerunt et fortasse colligant adhuc, ut, mixtis rerum seminibus, monstris prodigiisque inde suscitatis, et creationem polluant et per pollutam creationem Creatorem ipsum offendant.

## **Libri consulti**

Nova Vulgata Bibliorum Sacrorum editio, Typis Polyglottis Vaticanis, anno 1979.

Biblia Hebraica Stuttgartensia, editio quinta emendata, Sociedade Bíblica do Brasil et Deutsche Bibelgesellschaft, anno 1997.

Septuaginta, Deutsche Bibelgesellschaft, Stuttgart, anno 1979.

S. Tomæ Aquinatis, Summa Theologica, tertia editio, Biblioteca de Autores Cristianos, Matrity, anno 1961.

S. Augustini, de civitate Dei libri XXII.

Iohannis Buxtorfii, Lexicon Hebraicum et Caldaicum, Basileæ, anno 1735.

Homeri poetarum clarissimi, Odyssea, editor Gregorius Maxillus, Argentinæ (id est, Argentorati sive Strasburgi), anno 1510.

Hesiodi Carmina, editor F. S. Lehrs, Parisiis, anno 1841.

Luis Vegas Montaner, Génesis Rabbah I, Editorial Verbo Divino et Institución San Jerónimo, Matrity, anno 1994.

## IOHANNES LEONI S.

Mon, 28 Jun 2021 08:36:07 +020

En habes, Leo egregi, duabus electronicis formis, fabellulam Maupassantianam sat brevem novissimeque nuperrimeque togatam. Quam suspicor vix sine horrore ad finem perlegi posse, nisi forte quis tam fortis est quam leo!

Nomina modo sat usitato (quod sciam) Latine reddidi, ut *Saverinius -a* pro Saverini, *Ravolatus* pro Ravolati. Non inventis formis adiectivis variorum oppidorum nominum eas creavi, ut *Bonifaciensis*, *Adiaciensis -e*. Nomen autem canis q.e. [Sémillante](#) omnino in Latinum converti *Vivax*, quod nomen quadem significatione carere mihi haud videtur.

Versio originalis francogallice scripta [hic](#) invenies. Tu utrum satis placeant et fabula et versio mea videbis.

Athletice valeas cura, mi Leo, nova in re publica nostra movendi liberate hilariter fructus (nam nunc nobis licet pol sine persona in foris scholarum obambulare!).

Dr. Jan-Piet Knijff

Attendre et espérer.—Edmond Dantès

Illud aliquando, comparare quod nequit

industria, labor, ars, dolus, casu advenit.—Desbillons

Life is full of whimsical happenings, Watson.—Sherlock Holmes

On trouve des gens pour croire n'importe quoi.

—Xavier Bresselles (*Maigret à l'école*)

Wer das, was schön war, vergisst, wird böse;

wer das, was schlimm war, vergisst, wird dumm.—Erich Kästner

## ULTIO

*Narratiuncula a Guidone de Maupassant narrata*

*dataque in lucem pridie Id. Oct. anno 1883*

*anno 138 post a Johanne Knijff in Latinum conversa.*

Pauli Saverinii vidua sôla cum filio habitavit in casâ sub muro Bonifaciensi sitâ. Quod oppidum, in promunturio montis aedificatum, super mare hîc illic etiam suspensum, spectat, trans fretum scopulis hirsutum, ad imam Sardiniae oram. Ad pedes, ex aliâ parte, totum paene ambiens, hiatus in scopulo, ingentis andronis instar, munere fungitur portûs, adducens usque ad primas domus, longum post ambitum inter duos muros abruptos, scaphas piscatorias Italicas Sardasve necnon, quaque quindenâ, vetustam vaporariam tardam cui iter Adiaciense cura.

In monte albo domuum cumulus maculam facit etiam albiorem. Videntur velut nidi avium ferarum, ita suspensae in saxis, dominantes fretum terribile quo navigia adire vix audent. Ventus continuus mare fatigat, oram fatigat nudam, consumptam ab eo, vix herbâ indutam; ingurgitat freto cuius utramque vastat oram. Venae pallidae spumae, extremis nigris inhaerentes innumerabilium saxorum fluctus ubique frangentium, videntur quasi cento pannorum aequori innatans atque mare pulsans.

Viduae Saveriniae domus, scopulo inhaerens extremo, fenestras suas tres aperuit ad horizontem saevum desolatum.

Vivebat sola illic cum filio suo Antonio cumque cane suâ Vivaci, ingens bestia macra cum capillis promissis incultis, generis custodum gregum. Munere canis venatici fungebatur adolescenti.

Quadam nocte, rixâ exortâ, Antonius Saverinius occisus est perfide, ictu cultri, a Nicolao Ravolatio qui eâdem nocte petiit Sardiniam.

Accepto vetula mater corpore filii, quod viatores ei attulerant, non ploravit, sed diu quieta eum aspiciebat. Tum, manu rugosâ super cadaver extensâ, ultionem ei promisit. Nolens aliquem secum manere

apud cadaver sese inclusit cum cane ululanti. Bestia ululabat continenter, in pede lecti consistens, capite ad dominum verso suum, caudâ inter pedes obstrictâ. Neque plus movebatur quam mater, quae, super cadaver inclinata, oculis torvis, grandes effudit lacrimas tacitas filium contemplata.

Adulescens resupinus, veste suâ linteâ indutus foratâ scissilique in pectore, dormire videbatur; at sanguis ubique: in camisiâ ad primum auxilium ferendum abscissâ, in thorace, in bracis, in vultu, in manibus. Cruor barbae infixit capilloque.

Vetula mater loqui coepit, qua voce auditâ conticuit canis.

“Sane vindicaberis, mi parvule, mi puer, fili mi miser. Dormi, dormias, vindicaberis, audin’?! Mater tua hoc pollicetur! Atque eam semper dictis fidem praebere haud nescis.”

Lentê illa adversus eum inclinata haesit labra sua frigida labris eius mortuis.

Tum Vivax rursus ululare coepit. Longos dabat gemitûs, omni varietate carentes, lacerantes, horribiles.

Ibi ambae remanserunt, mulier bestiaque, usque mâne.

Antonio Saverinio postridie eius diei sepulto mox ne verbum quidem de eo auditum est Bonifacii.

\* \* \*

Neque fratrem neque consanguineos reliquerat propinquos. Nullus aderat mas qui ultionem persequeretur. Quam sola meditabatur mater vetula.

In alia freti parte a mâne usque ad vesperum punctum album cernebatur in litore. Viculus erat Sardus, Longosardo nomine, quo latrones Corsi nimis prope persecuti confugere consuerunt. Paene sôli inhabitant castellum istud, patriam contraque orasque paternas, exspectantes occasionem reveniendi, ad dumetum redeundi tempus. Ad hunc quidem viculum Nicolaum Ravolatium confugisse non nescivit illa.



Prorsus sola, totam diem, sedens iuxta fenestram, spectabat illuc, somnians de ultione. Quo pacto id strueret illa, nullo adiuvante, infirma ipsa, morte iam propinquâ? Attamen pollicita erat, iure iurando iuraverat per cadaver. Oblivisci nequivit, exspectandum non erat. Quid ergo faceret? Non iam dormiebat noctu, nulla requies illi, nihil pacis, obstinatê inquirebat. Canis ad pedes eius dormiens interdum caput tollens procul ululavit. Ex eo quo afuit dominus eius, illa saepe sic ululavit, quasi appellaret eum, quasi anima eius bestialis, inconsolabilis, retenuisset memoriam eradi quam nequiret.

Quadam igitur nocte, cum ululare coepisset Vivax, matri subito vênit in mentem consilium quoddam, ferocis ultricis barbarae consilium. Meditabatur usque mâne; tum, ante solis ortum surgens, ad templum se contulit. Precabatur, prostrata in solo, demissa coram Deo, obsecrabat ut sibi subveniret, ut se sustineret, ut redderet trito corpori misero vires quibus indignit ad filium vindicandum.

Tum domum rediit. Erat illi in areâ dolium vetustum quo aqua recipiebatur de canalibus; quod evertit, vacuefecit, in terrâ ligavit palis lapidibusque; tum, Vivace isti vinctâ cubili, domum intravit.

Obambulabat continenter in cubiculo, Sarda conspiciens litora quo confugerat homicida.

Canis diemque noctemque ululabat. Vetula horâ primâ illi attulit aquam in patinâ, at nihil aliud: nullum ius, nullum frustum panis.

Dies praeteribat. Vivax, defatigata, dormiebat. Postridie, fulgentibus oculis, capillis horrentibus, desperatê vincula trahebat.

Vetula adhuc nihil illi dedit êsum. Bestia, rabida facta, voce raucâ latrabat. Praeteriit nox.

Tum, facto mâne, mater Saverinia adiit vicinam, rogatum ut sibi darentur duo fasciculi stramenti. Sumptis vestimentis vetustis quae olim induerat maritus eaque pabulo referciendo corpus simulavit humanum.

Palo in terrâ iuxta cubile Vivacis puncto, simulacrum supra ligavit, ut consistere videretur. Tum caput simulavit e pannorum vetustorum fasciculo.

Canis, mirata, hominem illum stramenticium aspiciens conticuit, etsi fame confecta.

Tum vetula adivit porcinarium longum botoli frustum emptum. Domum redita igneque in areâ prope cubile facto, botulum assavit. Vivax, amens facta, saliebat, spumabat, oculis ad craticulam versis, cuius odor ad imum penetravit ventrem.

Tum mater ex illo cibo cocto focale paravit homini stramenticio. Artius in collo ei strinxit, ut penitus penetraret. Quo facto canem solvit.

Saltu bestia formidabili fauces petiit simulacri atque, pedibus umeris eius impositis, lacerare coepit. Reccidit illa, frustum praedae rictu tenens, tum iterum insiluit, dentibus funem mordens, arripuit paucas cibi partes, rursus reccidit, resiliuit, persistens. Grandibus vultum eripuit morsibus, in pannos totum deripuit collum.

Stabat mater immobilis tacitaeque aspexit, oculis incensis. Tum bestiam revinxit, biduum ieiunare coegit, inusitatum iteravit exercitum.

Per tres menses eam tali pugnae assuevit, ad cenam morsibus dentium conquestam. Illam iam non devinciens, signo tantum manûs in simulacrum immisit.

Docuit eam dilacerare, vorare illud, etiam sine ullo cibo in faucibus latenti. Quo facto, botulum pro illâ assum tanquam praemium illi dedit.

Cum primum animadvertit hominem, Vivax tremuit, tum oculos vertit ad dominam, quae clamavit: “I!” voce stridenti, digito levato.

\* \* \*

Cum tempus idoneum esse iudicavit, mater Saverinia, confessione factâ, quadam Domenicâ mâne communionem accepit, exstasi

quadam fervidâ; tum, virili veste induta, seni pauperi pannoso haud dissimilis, pacta est cum piscatore Sardo ut se traduceret, cane comitante, in aliam freti partem.

In sacco carbaseo magnum frustum botuli secum tulit. Vivax biduum ieiunavit. Vetula eam iterum iterumque cibum odorantem sentire sivit, quod excitavit eam.

Longosardum advenerunt. Corsa ibat claudicans. Pistrinam intravit rogatum ubi habitaret Nicolaus Ravolatus. Idem repetierat munus suum priscum, fabri videlicet. Opus faciebat solus suâ in tabernâ.

Vetula fores impulit eumque appellavit: “Heus, Nicolae!”

Ille se vertit; tum, cane solutâ, “I, I!” clamavit illa. “Vora, devora!”

Bestia, amens facta, insiluit, fauces petiit. Homo bracchia extendens illam amplexus ad terram volvit. Per pauca puncta temporis retorquebat, pedibus solum pulsans; tum immobilis remansit dum Vivax collum scrutatur, quod in frusta delaceravit.

Duo vicini, sub ianuâ sedentes, bene meminerant se vidisse senem pauperem cane nigro comitante macro, qui comedebat in ambulando rem quandam fuscâ quam praebebat illi dominus.

Vetula vesperi domum redierat. Bene dormivit eâ nocte.

# HISTORIA LACERTAE AGILIS

<https://de.wikipedia.org/wiki/Zauneidechse>



***Lacerta agilis*, mas.**

## Systematik

|                    |                       |
|--------------------|-----------------------|
| <i>superordo:</i>  | Lepidosauria          |
| <i>ordo:</i>       | Squamata              |
| <i>familia:</i>    | Lacertidae            |
| <i>subfamilia:</i> | Lacertinae            |
| <i>genus:</i>      | <b><i>Lacerta</i></b> |
| <i>species:</i>    | <b><i>agilis</i></b>  |

### **nomen scientificum**

*Lacerta agilis*

Linnaeus, 1758

***Lacerta agilis*** est animal reptile familiae Lacertidarum, quod praecipuê habitat in Europa mediâ et orientali et Asiâ anteriore.





**Lacerta agilis femina**

### **Notae speciales**

In regione germanophonâ lacertae agiles longitudine corporis sunt maximâ circiter 24 (viginti quattuor) centimetrorum. Ibi lacertae longissimae sunt longitudine capitali-caudali ferê 9,5 centimetrorum et longitudine caudae ferê 14 centimetrorum. Maxima longitudo capitali-caudalis, quae est 11,5 cm, mensurata est *Lacertae agilis* in montibus Caucasi exortae. Generaliter *Lacertae agiles* feminae habent truncos longiores, mares capita longiora et paululo longiores caudas. Si *Lacertam agilem* comparas cum *Zootocâ viviparâ*<sup>1</sup> et *Podarce murali*<sup>2</sup>, dicas illam his esse compactiorem et multo robustiorem. Latera rostri sunt ardua et alta et desinunt in anteriorem partem obtusam. Caput superius est planatum; a lateribus seiunctum est margine, qui ab oculis pertingit ad nares. Occiput aliquantulo latius est quam collum ideoque ab eodem distinctum. Cauda in radice suâ est multo altior quam lata et paulatim acuminatur; apex non est perlongê extracta. Cauda autem regenerata, quae succrevit, plerumque brevior est minusque insignis.

<sup>1</sup> *Zootocâ viviparâ*, i.e. theodiscê *Waldeidechse*

<sup>2</sup> *Podarcis mūrālis*, i.e. theodiscê *Mauereidechse*



**Lacerta agilis iuvenilis**

Coloratio atque delineatio pro individuo, sexu, stadio aetatis, tempore anni (praecipuê in lacertâ masculinâ!) valdê variatur. Saepe dorsum medium mediaque cauda praeditae sunt lineamento scalae simili, quod compositum est e lucidis lineis lateralibus (taeniis parietalibus) et obscurê-fuscis maculis dorsalibus, quibus sunt interspatia fuscii coloris. Praeterea in mediâ atque lateralibus in partibus trans maculas dorsales plerumque inveniuntur virgae albae interruptae (linea occipitalis et lineae parietales). Etiam color basalis capitis superioris, caudae, membrorum, maculae laterum est nuclei albi. Marium caput et latera trunci et ventris tempore coeundi (usque ad menses Iunium/Iulium) sunt coloris viridis; praesertim in Germaniâ australi *Lacertae agiles* inveniuntur paene totae virides. Altera specialitas sunt exempla, quae praedita sunt dorso rubro. Latus inferius feminarum est flaveolum macularumque expers, marium viride maculisque nigris instructum. Lacertae iuveniles colore sunt fusco, earum dorsum et latera saepe sunt maculis ocellaribus instructa conspicuis.



## Modus vivendi

Mediâ in Europâ *Lacerta agilis* incipit hibernare, ubi primum collegit sat multum energiae. Mares adulti evanescent plerumque mense Augusto ineunte, feminae Septembri, lacertae iuveniles se abdunt mense Septembri aut Octobri.



Mense Martio ineunte in superficie primo apparent lacertae iuveniles et/aut mares et nonnullis septimanis post feminae. Caelo sudo *Lacerta agilis* mâne primo apricatur, ut organismum suum poecilothermum calefaciat usque ad temperaturam satis calidam. Deinde lacertae abeunt ut quaerant nutrimenta. Praedae lacertarum sunt cum cetera tum insecta, e.g. locustae, cicadae, coleoptera eorumque larvae, cimices, formicae, aranae, lumbrici. *Lacertae agiles* bibunt guttulas roris et pluviae. Nocte, aut si magni sunt calores aut si mala tempestas est, *Lacertae agiles* se abdunt in latebras suas.

Hostes lacertarum naturales sunt aves et mammalia, sed etiam alia animalia reptilia. Has bestiolas venantur cum cetera tum haec animalia: aves raptoriae, corvi, sturni, phasiani, merulae, martes (sive ictides), vulpes, erinacei, coronellae<sup>1</sup>. Ova lacertarum devorantur a gryllotalpis<sup>2</sup> et carabis<sup>3</sup>. Saepe dicuntur feles domesticae vagantes vehementer nocere huic speciei lacertarum. At huius sententiae desunt indicia; praeterea hoc non est verisimile, quia abundant *Lacertae agiles* in regionibus, ubi habitacula humana sunt multa. E contrario lacertae periclitantur ibi, ubi phasiani permulti sunt expositi. Apri humo verrendo interdum destruunt locos lacertarum hibernandi, sed

<sup>1</sup> \*corōnella, -ae f. *Schlingnatter*.

<sup>2</sup> \*gryllotalpa, -ae f. *Maulwurfsgrille*.

<sup>3</sup> carabus, -ī m. *Laufkäfer*.

etiam efficiunt loca aperta locosque ova pariendi. Si periculum imminet, lacerta in uno ex pluribus locis fractoriis partem caudae abicere potest, ut hostis appendice micanti avertatur.



**Lacerta agilis mas et femina inter se coeuntes**

Postea cauda regeneratur, sed manet brevior quam cauda prior.

### **De prole propagandâ**

Post primam ecdysin (quae in Europâ mediâ incipit circiter mense Aprili exeunte) incohatur tempus coeundi, quod non finitur nisi mense Iunio exeunte. Si mares unus in alterum incidit, fieri potest, ut unus alteri minetur et admirationem moveatur (pugnae ritualizatae). Femina si nondum parata est ad coitum, marem mordens studet eum arcere. In coitu mas primo mandibulis corripit caudam feminae mediam. Deinde latus mordens corpus ita incurvat, ut cloacae ambarum bestiarum inter se tangant et hemipenis possit introduci. Hae copulationes fiunt per spatium trium vel quinque minutarum et compluries una post alteram.

Ova pariuntur a medio mense Maio usque ad mensem Iulium exeuntem, interdum etiam mense Augusto. Ad hanc rem faciendam a



lacertis petuntur loci harenosi, qui a sole irradiantur. Femina effodit parva foramina et in haec excludit minimê 5, maximê 14 ova testae mollis. Spatium temporis, quod praeterit inter ovipartum et exclusionem ovorum, pendet a temperaturâ circumiectorum. Inter 21 et 24 °C (gradûs Celsianos) hoc spatium complectitur duos menses. Lacertulae exclusae longitudine sunt circiter 5 vel sex centimetrorum. Recenter exclusae necesse est caveant parentes proprios, ne ab iis devorentur. Pubertatem assequuntur aetate anni sesquialterius aut duorum annorum. Per exceptionem *Lacertae agiles* pubertatem iam assequuntur post primam hibernationem, i.e. aetate unius anni.

### **Habitatio.**

*Lacertae agiles* solent incolere loca ab hominibus effecta atque tractata, e.g. margines silvae aridos, aggeres ferriviarios, ericeta, dunas, lapicidinas, fodinas silicarias, hortos feros, et similes biotopos, in quibus vicissim inveniuntur areae apertae, quae sunt solo laxo, et areae, quae obsitae sunt plantis densis. In regionibus frigidioribus lacertae non inveniuntur nisi in locis apricis. Multum etiam valent tales materiae, quales sunt lignum mortuum et gramina vetera.

### **Dispersio.**

Area dispersionis *Lacertarum agilium* complectitur Francogalliam mediam, Europam mediam et orientalem et Suetiam australem, et Balticum, lacum Ladogae et Onegae usque ad Lacûs Baicaliani apicem australem in oriente extremo situm. Britanniae autem insula principalis ab his lacertis non inhabitatur nisi in paucis punctis australibus. Limes huius areae australis constat ex Pyrenaeis et parte Alpium boreali, australi paeninsulae Balcanicae, Caucasi. Non inhabitantur e.g. Scandinavia borealis et media, Scotia, Hibernia necnon magna pars regionis Maris mediterranei.

In septentrione regionis suae dispersoriae *Lacerta agilis* inhabitat praecipuê terram collinam et planam. At in margine areae dispersoriae suae haec lacerta non invenitur nisi in regionibus montium altioribus; in meridie eadem incolit regiones, quae habent altitudinem partim 2000 metrorum zerotis normalis (NN). Regio maximê meridionalis, quae incolitur a *Lacerta agili*, sita est in Graeciae Montibus *Pindos*.

### **Quibus rebus haec species lacertarum periclitetur.**

*Lacertae agiles* praecipuê decimantur biotopis structurisque minoribus destruendis. Ita fit recultivatio terrae desertae vastaeque ad usum humanum parum aptae, vetereta denuo culta, amissio marginum et declivatum, generaliter agricultura intensiva aut fragmentatio plagarum viis sternendis et commeatu et domorum aedificatione. Interdum propter aedificationes necesse est habitacula *Lacertarum agilium* mutare.

### **Peculiaritates**

*Lacerta agilis* in Helvetiâ dicta est „Bestia anni 2005“ et in Germaniâ „Animal reptile anni 2020“ est proclamata.

A *Lacertis agilibus* fabricantur substantiae, quibus sanetur morbus borreliosis.



### **Einzelnachweise**

- Hubert Laufer: *Praxisorientierte Umsetzung des strengen Artenschutzes am Beispiel von Zauneidechsen*. In: [Naturschutzinfo. Nr. 1, 2014](#) (PDF). Hrsg. [Landesanstalt für Umwelt Baden-Württemberg](#).
- • [Lacerta agilis \(Linnaeus, 1758\)](#). Schutzstatus im Wissenschaftlichen Informationssystem zum Internationalen Artenschutz des [Bundesamtes für Naturschutz](#), abgerufen am 7. März 2021.

- • Klaus-Detlef Kühnel, Arno Geiger, Hubert Laufer, [Richard Podloucky](#), Martin Schlüpmann: *Rote Liste und Gesamtartenliste der Kriechtiere (Reptilia) Deutschlands*. In: Bundesamt für Naturschutz (Hrsg.): *Rote Liste gefährdeter Tiere, Pflanzen und Pilze Deutschlands*. Band 1: *Wirbeltiere* (= *Naturschutz und biologische Vielfalt*. 70, 1). Bundesamt für Naturschutz u. a., Bonn-Bad Godesberg u. a. 2009, [ISBN 978-3-7843-5033-2](#), S. 231–256, [Digitalisat \(PDF; 1,41 MB\)](#).
- • [Rote Listen](#). Online-Übersicht auf der Website *Amphibien- und Reptilienschutz aktuell* des [NABU](#), abgerufen am 7. März 2021.
- • [Rote Liste der gefährdeten Arten der Schweiz: Reptilien](#). Stand 2005. [Bundesamt für Umwelt](#) (BAFU).
- [Ökologe: „Straßen sind Amphibienkiller“](#). [Schwarzwälder Bote](#), 13. März 2017.

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
QUAE SPECTAT AD  
LACERTAM AGILEM  
LATINE REDDIDIT  
LEO LATINUS**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.*

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

| NR | Num. mandataelae | ISBN              | TITULUS   | AUCTOR                          | TRANSLATOR     | ANNUS | FORMA      | AMPLI-TUDO | PRE-TIUM |
|----|------------------|-------------------|---|---------------------------------|----------------|-------|------------|------------|----------|
| 1  | 00104            | 978-3-938905-00-5 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA   | Anonymus (Old Indian)           | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.      | € 17,90  |
| 2  | 00104A           | 978-3-938905-15-9 | FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles                         | Anonymus (Old Indian)           | Nikolaus Gross | 2005  | Audio      | 21 min.    | € 22,90  |
| 3  | 00204            | 978-3-938905-01-2 | TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM | Edgar Allan Poe                 | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 33 pp.     | € 27,50  |
| 4  | 00304            | 978-3-938905-02-9 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE                                     | Heinrich von Kleist             | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 6 pp.      | € 17,90  |
| 5  | 00304A           | 978-3-938905-16-6 | ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles                   | Heinrich von Kleist             | Nikolaus Gross | 2004  | Audio      | 6 min.     | € 20,90  |
| 6  | 00404            | 978-3-938905-03-6 | MEMENTO MORI  | Alexander Saxon                 | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.      | € 17,90  |
| 7  | 00404A           | 978-3-938905-17-3 | MEMENTO MORI – Libri audibiles  | Alexander Saxon                 | Nikolaus Gross | 2005  | Audio      | 20 min.    | € 21,90  |
| 8  | 00504            | 978-3-938905-04-3 | DE CRAMBAMBULO  | Marie von Ebner-Eschenbach      | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 14 pp.     | € 19,50  |
| 9  | 00604            | 978-3-938905-05-0 | DE DINOSAURIS   | Nikolaus Gross                  | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 16 pp.     | € 19,00  |
| 10 | 00704            | 978-3-938905-06-7 | SUDATORIUM VENERIS  | Diogenes Anaedous               | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 11 pp.     | € 19,50  |
| 11 | 00804            | 978-3-938905-07-4 | PERICULUM FRANCISCI   | Diogenes Anaedous               | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.      | € 17,90  |
| 12 | 00904            | 978-3-938905-08-1 | NUPTIAE ABDERITANAE   | Bertolt Brecht                  | Nikolaus Gross | 2004  | CD-ROM pdf | 21 pp.     | € 22,00  |
| 13 | 01004            | 978-3-938905-09-8 | TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN   | Henricus van den Lande de Raelt | -----          | 2004  | CD-ROM pdf | 7 pp.      | € 17,50  |

|    |         |                   |  |                               |                |      |               |         |         |
|----|---------|-------------------|--|-------------------------------|----------------|------|---------------|---------|---------|
| 14 | 01104   | 978-3-938905-10-4 | DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO                                 | Nikolaus Gross                | -----          | 2004 | CD-ROM        | 21 pp.  | € 22,00 |
| 15 | 01204   | 978-3-938905-11-1 | FABELLAE GRIMMIANAE 1  | Jacob Grimm/<br>Wilhelm Grimm | Nikolaus Gross | 2004 | CD-ROM pdf    | 28 pp.  | € 24,90 |
| 16 | 00105   | 978-3-938905-12-8 | ROMULUS MAGNUS   | Friedrich Dürrenmatt          | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 49 pp.  | € 31,90 |
| 17 | 00205   | 978-3-938905-13-5 | DE THILO CUSTODE FERRIVIAE   | Gerhart Hauptmann             | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 28 pp.  | € 24,90 |
| 18 | 00305   | 978-3-938905-14-2 | HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)   | Christoph Martin Wieland      | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 15 pp.  | € 19,50 |
| 19 | 00405   | 978-3-938905-19-7 | WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT  | Johann Wolfgang von Goethe    | Nikolaus Gross | 2005 | CD-ROM pdf    | 82 pp.  | € 38,90 |
| 20 | 0050 5A | 978-3-938905-22-7 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 –<br><b>Libri audibiles</b> | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio         | 40 min. | € 21,90 |
| 21 | 0060 5A | 978-3-938905-18-0 | SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM –<br><b>Libri audibiles</b>      | M.T. Cicero                   | -----          | 2005 | Audio         | 30 min. | € 20,90 |
| 22 | 0070 5A | 978-3-938905-23-4 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 –<br><b>Libri audibiles</b>                 | C.I. Caesar                   | -----          | 2005 | Audio         | 55 min. | € 22,90 |
| 23 | 00106   | 978-3-938905-21-0 | AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE  | Nikolaus Gross                | -----          | 2006 | CD-ROM pdf    | 87 pp.  | € 48,00 |
| 24 | 00206   | 978-3-938905-20-3 | DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM           | Karl Friedrich Kielmeyer      | Nikolaus Gross | 2006 | CD-ROM pdf    | 66 pp.  | € 38,00 |
| 25 | 0030 6A | 978-3-938905-24-1 | CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 –<br><b>Libri audibiles</b>                 | C.I. Caesar                   | -----          | 2006 | Audio         | 61 min. | € 22,90 |
| 26 | 0040 6A | 978-3-938905-25-8 | CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 –<br><b>Libri audibiles</b> | M.T. Cicero                   | -----          | 2006 | Audio         | 41 min. | € 21,90 |
| 27 | 0050 6A | 978-3-938905-26-5 | EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 –<br><b>Libri audibiles</b>  | L.A. Seneca                   | -----          | 2006 | Audio (2 CDs) | 88 min. | € 27,90 |

|    |            |                           |  |                                    |                   |      |                   |         |         |
|----|------------|---------------------------|--|------------------------------------|-------------------|------|-------------------|---------|---------|
| 28 | 00107<br>A | 978-3-<br>938905-27-<br>2 | ASINUS AUREUS AB<br>APULEIO SCRIPTUS   | Apuleius                           | -----<br>--       | 2007 | Audio             | 55 min. | € 23,90 |
| 29 | 0020<br>7A | 978-3-<br>938905-28-<br>9 | OBSIDIO SAGUNTI A<br>T.LIVIO DESCRIPTA | Livius                             | -----             | 2007 | Audio             | 53 min. | € 23,90 |
| 30 | 00307      | 978-3-<br>938905-29-<br>6 | FABELLAE GRIMMIANAE<br>II              | Jacob<br>Grimm/<br>Wihelm<br>Grimm | Nikolaus<br>Gross | 2007 | CD-<br>ROM<br>pdf | 58 pp.  | € 32,90 |



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,**

**USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**





**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM QUADRAGESIMAM PRIMAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Martis  
17. m. Augusti a. 2021**



**Dr. Nicolaus Groß**  
**LEO LATINUS**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae